



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Opinio Probabilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

qui se exponit occasione proximæ violandi castitatem, sive per actum externum fornicationis, pollutionis &c. sive per internum delectationis morosæ, & desiderii impuri, licet in ea cõstitutus nihil desideraverit, nil egerit, nec sibi complacuerit; quod est à Confessariis valdè ponderandum, ut interrogent, maximè personas rudes, quæ in rebus venereis solent solùm se accusare de actu consummato peccati, quinimmodò plures nec de interno se accusant putantes consensum non præbere, nisi dum in externum prorumpunt.

### OPINIO PROBABILIS.

450. **Q**Uæritur. Quid sit opinio probabilis, quidve probabilior, & quænam tuta, quænamve tutior?

Resp. Probabilis, est assensus, quo intellectus propter alicujus momenti rationem, vel auctoritatem DD. uni parti adhæret, vel judicat esse licitum aliquid, vel illicitum, sed cum formidine de opposito: Probabilior verò est, quæ pro se habet plures, & majoris ponderis rationes, pluriumque, vel graviorum DD. auctoritatem; rationes sunt, quæ opinionem ab intrinseco probabilem reddunt auctoritates verò ab extrinseco probabilem ostendunt; tuta autem, & tutior opinio dicitur ex quo aliquo modo, vel securius vitat peccatum.

451. **Q**Uæritur. Quid requiratur ad hoc, ut opinio sit verè probabilis?

Resp. Requiritur 1. Quod ratio, & motivum sit magni momenti, non solùm secundùm se; sed etiam comparativè ad argumenta in contrarium, ut ab his non enervetur.

2. ne sit contra evidentiam sensuum, aut aliam demonstrationem: 3. ne ex ea sequatur ullum manifestè absurdum. 4. ne ratio, seu motivum sit contra communem sensum omnium, qui illam sententiam examinarunt. 5. ne Ecclesia aliquid in contrarium definierit, quapropter multitudo D. D. priorum vestigia instar ovium sequentium nulla rationum discussione premissa, non facit opinionem probabilem, nam ad id opus est, ut eam ponderatis rationibus confirmet.

452. Quæritur. An detur discrimen inter opinionem speculative probabilem, & probabilem practice?

Resp. Affirmative, nam opinio speculative probabilis est illa, quæ affirmat, vel negat aliquid secundum se in communi, & in abstracto esse licitum, vel illicitum, prescindendo à circumstantiis in particulari, quæ reddunt quasdam actiones illicitas, quæ moraliter ad praxim redigi non possunt; verbi gratia est speculative probabile, quod non sit mortale petere ex amore justitiæ vindictivæ ab Judice, ut capite plectat eum, qui filium suum proditoriè occidit, & tamen est practice improbabile id esse licitum petere propter periculum gaudendi de vindicta privata, & quod mors occisoris placeat; & sic de similibus; opinio practice probabilis est illa, quæ prudenter pronuntiat aliquam actionem esse licitam, & in praxim posse deduci; ver. grat. est practice probabile, quod liceat in Sacramento Penitentiæ adhibere attritionem supernaturalem, ergo licitum erit juxta hanc opinionem practice probabilem suscipere Sacramentum (omissa contritione tutiore.)

453. Quæritur. An detur discrimen inter opinionem tutiorem, & probabiliorem?

Resp. Dari, quis enim ignorat, posse opinionem aliquam esse præ opposita probabiliorem, quamvis sit minus tuta; aliquam verò minus probabilem, sed tutiorem? sic opinio de sufficientia attritionis in Sacramento Pœnitentiæ est probabilior, quamvis tutius sit contritionem adhibere & in dubio, num detur obligatio restituendi, jejunandi &c. semper tutius est restituere, jejunare &c. quamvis non semper sit probabilius, quod ad id obligemur; similiter in quæstione illa: an circumstantiæ notabiliter aggravantes sint necessariò in Confessione aperiendæ, opinio negativa est probabilior, quæ fundatur in Tridentino Sess. 14. cap. 1. can. 7. quamvis affirmativa sit tutior.

454. Quæritur. An si liber sit alicujus junioris, & moderni debeat opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem?

Resp. Negativè, nam est falsum, quod auctoritas unius moderni Doctoris reddat opinionem probabilem, & quàm periculosum hoc sit in materia morum, non est qui non videat, quia cum in moralibus nulla sit opinio quantumcumque exorbitans, quæ aliquem pro se auctorem non habeat, jam esset cuique liberum, omnem opinionem in moralibus amplecti, & ex quacumque se efformare dictamen ad operandum, quæ sententia utpotè nutritiva peccati ad innumera crimina in moralibus aditum parat; idcirco jure merito ab Alexandro VII. cum propof. 27. damnatur.

455. Quæritur. An unusquisque præferat

tutior.

tim illiteratus sequi possit sententiam sui Præceptoris, vel alterius viri pii, ac docti, nec non rustici possint acquiescere auctoritati Parochi?

Resp. Quando discipulus, & indoctus invincibiliter ignorant sententiam illam; quam Præceptor, aut Parochus, vel alius vir doctus, & pius docent, singularem esse, & contra communem Doctorum, possunt tutè eam sequi, aliter in oppidis, ubi unus est Parochus, nemo posset ejus consiliis acquiescere, sed deberet quilibet peregrinari ad veritatem indagandam, & sanè sicut vir doctus, ac probus potest sequi suam opinionem, quando invincibiliter ignorat illam esse singularem; ita pariter illiterati, & rustici possunt viri docti, ac pii, sive Præceptoris, aut Parochi opinionem sequi, si ea invincibili ignorantia laborent; quando tamen advertunt, opinionem esse contra communem DD. eam sequi non possunt, sed debent veritatem inquirere, sicut nec potest sequi opinio plurium, quorum doctrina, ac prudentia non magni fiat, quoties multitudo DD. militet ex adverso.

456. Quæritur. An aliquando admitti possit ut probabilis, non solum plurium, sed etiam unius auctoris opinio, etiam si adversus communem aliorum sentiat?

Resp. Affirmativè, quoties auctor est omnino exceptione major, id est valde peritus; tum juris naturalis, tum etiam positivi, qui firmis, ac validis rationibus consueverit conclusiones suas fundare, qui veritatis potius quàm novitatis censeatur amator, ac demum qui aliorum fundamenta plenè discussit, & dejecerit, adeò ut prudenter  
credi

credi possit, alios etiam doctissimos eadem opinioni subscripturos; hinc fit, posse aliquem consulere plures viros doctos, donec inveniatur aliquem, cuius consiliis acquiescere possit; quia unicuique licitum est uti jure suo; notandum tamen, quod in rebus ad Theologiam moralem spectantibus non satis est consulere Theologum scholasticum magnæ auctoritatis, si in morali Theologia, ut accidit, non raro sit parum versatus: plurimi enim pollent ingenio, non tamen iudicio prudentiali, & idè in scholasticæ eminent, in morali verò claudicant.

457. *Queritur.* Quanta debeat esse auctoritas extrinseca unius partis præ altera, ut ab hac non dicatur illa infringi, ac enervari, in ordine ad reddendam opinionem probabilem?

*Resp.* Varii varia docent, sed ex eorum doctrinis colligitur, non posse indoctos ferre iudicium sanum de probabilitate extrinseca alicujus opinionis, sed requiri doctrinam ad discernendum in multitudine, vel paucitate DD. pondus auctoritatis, & pondus rationum: hæc tamen regula videtur posse dari, videlicet; si opinio sit unius, vel paucorum non paucis ab hinc annis in lucem edita, & contra illam stet sensus communis, non est dicenda probabilis, nam si validè fundaretur, habuisset asseclas, cum autem non habuerit, à posteriori, signum est, eam solidò fundamento destitui; si verò sit unius Doctoris moderni, aut paucorum, & contra illam stet sensus communis, tunc, ut possit dici probabilis, discutiendum est; an concurrant omnes illæ circumstantiæ.

stantiæ inquæst. præcedenti enumeratæ.

458. Quæritur. An liceat sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam?

Resp. Schola Tutioristarum, & Rigoristarum ita textus, & canones Sacros, ac SS. Patres, adhortantes ad æmulandum charismata meliora, interpretatur, ut velit non esse opus consilii, sed præcepti, via tutissima incedere, proinde decet, nunquam licere sequi opinionem libertati faventem adversus aliquam legem, tametsi ea probabilissima, & recepta communiter censeatur, quod est, onus Christi leve, & jugum suave reddere intolerabile, cum superet vires humanas assequi semper quod est tutius, atque adeo quod est perfectius; idcirco ipsorum opinio ab Alexandro VIII. cum propof. 3. damnatur; ratio est, quia probabilissima sententia dicitur illa, quæ validissimo fundamento nititur, habetque pro se suffragium plurimorum sapientium, ergo non potest practicè errare, qui sequitur Spiritus Sancti consilium, atque aded dictamen rationis, cum scriptum sit *Ecc. 6. in multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientia eorum ex corde coniunge.*

459. Quæritur. An sit licitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore?

Resp. Nonnulli docent, in collatione Sacramentorum licitum esse universim usui opinionis probabilis, relicta tutiore, nisi forte lex aliqua, aut conventio, aut periculum gravis damni aliud postulet, ut proinde id non liceat in collatione Baptismi; ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis; quia  
in

incertitudo, & dubietas de valore Baptismi obstat salutis animæ, dubietas de valore ordinis Sacerdotalis obstat validitati consecrationum, & absolutionum, & dubietas ordinis Episcopalis obstat validitati ordinis sacri per Episcopum conferendi; sed errant, dum in conferendis cæteris Sacramentis admittunt, fas esse in concursu opinionis tutioris de validitate Sacramenti uti minus tuta, & probabili: quorum sententia tanquam falsa probabilitatem amisit, ut manifestè constat ex propof. i. inter damnatas ab Innoc. XI. nam certè quamvis inde nullum damnum tertio oriretur, irreverentia gravis Sacramento esset inevitabilis propter periculum nullitatis, & frustrationis, cui exponeretur; propterea tenendum est tanquam certum, id esse absolute, & in quolibet Sacramento illicitum, & peccare mortaliter, qui administrat quodlibet Sacramentum, utendo opinione probabili; omissa tutiore, tum contra charitatem, & misericordiam, exponendo pœnitentem periculo carendi gratia Sacramentali, qua indiget, tum etiam contra virtutem Religionis, seu contra reverentiam Sacramentis debitam, exponendo ea periculo frustrationis.

460. *Queritur.* An sicut est illicitum in Sacramentis conferendis uti opinione probabili, relicta tutiore, id sit etiam illicitum in Sacramentis suscipiendis?

*Resp.* Affirmative, ratio est, quia etiam ex hoc capite illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem minus tutam, quia exponitur periculo frustrationis Sacramentum, & idcirco sic administrans Sacramenta non solum peccat



contra charitatem, sed etiam contra Religionem, seu contra reverentiam Sacramentis debitam, atque eodem modo exponitur periculo frustrationis Sacramentum, si adhibeatur materia, vel forma minus tuta in conferendis, quàm si adhibeatur in suscipiendis Sacramentis; ergo utrumque est illicitum; unde opposita sententia implicite videtur etiam damnari in decreto Innoc. XI.

461. Quæritur. An sicut est illicitum tam in conferendis, quàm in suscipiendis Sacramentis uti opinione probabilis minus tuta, sit etiam illicitum uti opinione probabilissima, seu moraliter certa, omni tutiore?

Resp. Esse illicitum uti opinione probabilissima, omni tutiore, ut constat, tum ex propof. 3. inter damnatas ab Alex. VIII. quæ negat universim licere sequi opinionem probabilissimam, tum etiam quia illi non subest incertitudo moralis, nec prudens formido; & sane non major certitudo requiritur in conferendis, & suscipiendis Sacramentis, quàm in procuranda nostra salute, sed ad hanc sufficit certitudo moralis; aliter qui in articulo mortis posuit actum contritionis deberet iterum, iterumque conari ad novos, & intensiores eliciendos, ut majorem haberet certitudinem; unde non esset verum, quod dicitur, 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*; ergo etiam certitudo moralis sufficit in Sacramentis administrandis, & suscipiendis.

462. Advertendum tamen primò, quod sicut potest aliqua opinio esse de se tenuis probabilitatis, mihi tamen apparere invincibiliter solide probabilis, in quo casu non  
pec-

pecco illam deducendo in praxim, ita viceversa sententia de sufficientia attritionis in Sacramento Pœnitentiæ est de se tuta, & tamen mihi apparere potest solum probabilis, in quo casu certè non liceret mihi illam adhibere, cum non liceat juxta dicta tam in Sacramentis conferendis, quàm in suscipendis sequi opinionem de eorum valore minus tutam.

463. Advertendum 2. quod poterit aliqua opinio esse de se probabilissima, seu moraliter certa, & simul alicui apparere dumtaxat probabilis speculative, & non practice, in quo casu illicitum erit, quamvis per accidens, sequi hujusmodi opinionem de se probabilissimam, aut certam moraliter.

464. Quæritur. An in Confessione venialium requiratur dolor efficax, sicut requiritur in Confessione mortalium?

Resp. Nonnulli docuerunt, sufficere posse dolorem inefficacem, & virtuales inclusum in ipsa voluntate recipiendi Sacramentum, ejusque effectum, sed eorum opinio tanquam falsa damnationi subjacet; ratio est, quia ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ requiritur tanquam pars essentialis dolor formalis, & efficax, sed in confessione venialium datur verum Sacramentum: ergo requiritur dolor formalis efficax, & supernaturalis; quare qui sine eo dolore confiteretur venialia advertenter, peccaret mortaliter, quia faceret Sacramentum voluntariè nullum; & quamvis nemo teneatur cōfiteri peccata venialia, aut mortalia aliàs ritè confessa, posito tamen quod illa velit confiteri, & facere materiam totalem Confessionis, tenetur accedere cum

eo dolore vel omnium venialium, vel aliorum, aut faltem unius cum vero emendationis proposito.

465. Quæritur. An ad Sacramentum Pœnitentię sufficiat dolor, etiam si per longissimum tempus præcesserit Confessionem: dummodo non sit retractatus?

Resp. Negativè, quamvis enim non sit necessaria coexistentia physica, ita quod dolor physice existat in ipso puncto Confessionis, necessaria tamen est coexistentia & simultas moralis, scilicet quod moraliter, ac virtualiter permaneat, & existat; ut si quis manè doleat, & actu non revocato post tres, vel quatuor horas confiteatur sine novo doloris actu, vel si quis vespere examinans conscientiam eliciat actum doloris, & sequenti die confiteatur; rursus si non solùm præcedenti vespere, sed etiam præcedenti die id fecerit, ita ut dolor non revocatus uno, vel altero die solùm confessionem præcesserit, licitè operatur, & abundè est, & licet nonnulli extendant probabiliter ad quatuor, vel quinque dies, alii ad longissimum tempus, eorum tamen opiniones, ut minus tutæ illicitè in praxim deducuntur; curent autem Confessarii, ut pœnitentes in actu Sacramentalis Confessionis dolorem renovent, adjuvando ignorantes, ac rusticos, ut ad dolorem supernaturalem excitentur, cum id brevissimo tempore fieri possit, nam ob Confessariorum incuriam innumerabiles fideles vel sacrilegè, aut sine fructu sacramentum suscipiunt.

466. Quæritur. An pœnitens, qui in Confessione obliviscitur alicujus peccati mortalis, & paulo post redit ad subjiciendum

Quum illud clavibus, teneatur novum doloris actum elicere?

Resp. Non tenetur, dummodo in prima Confessione habuerit dolorem universalem de omnibus peccatis, quia moraliter, & virtualiter perseverat prior ille dolor, qui sicut extendebatur ad peccata etiam oblita, ita potest infervire pro nova Confessione peccatorum oblitorum; si verò habuisset solum dolorem particularem de aliis peccatis confessis, non autem de illo oblito, deberet utique novum dolorem elicere, sicut etiam deberet novum elicere, si interim aliud mortale commisisset.

467. Quæritur. An sufficiat unus actus doloris pro distinctis Confessionibus, non solum quando exponuntur peccata diversa, sed etiam quando statim iteratur confessio de eisdem peccatis?

Resp. Negative, ratio est, quia debet esse nova, & distincta materia pro nova forma, & nova substantia Sacramenti, quæ materia proxima in Sacramento Pœnitentiæ est dolor supernaturalis, & Confessio, quare sicut dari non potest nova absolutio, nisi adsit nova Confessio, ita etiam nisi adsit novus dolor; idcirco sententia opposita repugnat decreto Pontificio.

168. Quæritur. An dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debeat Confessionem præcedere, vel sufficiat, si illam subsequatur, dummodo absolutionem præcedat?

Resp. Ad valorem Sacramenti non requiritur necessariò, quod dolor Confessionem præcedat, sed sufficit si illam sequatur, dummodo absolutionem præcedat, & hæc opinio non est damnationi subjecta, cum non solum sit probabilis, sed etiam

mora

moraliter certa, atque adeo tuta in praxi, ratio est, tum quia sic sumitur ex communi sensu fidelium tam pœnitentum, quam Confessariorum, qui peracta Confessione peccatorum solent excitari ad dolorem, nam frequenter contingere potest, quod multi, qui ante accusationem conantur elicere actum doloris supernaturalis, non eliciant nisi naturalem, aut non sufficientem ad valorem Sacramenti, vel ob ignorantiam, seu ob cordis duritiem, postea tamen Confessarii opera concipiunt dolorem requisitum ad recipiendam absolutionem cum fructu, facienti enim quod in se est Deus non denegat gratiam suam; tum etiam quia dolor etiam subsequens per Confessionem precedentem sensibilis redditur, qui enim confitetur in ordine ad absolutionem obtinendam, significat se velle ponere omnia requisita ex parte sui ad Sacramentum, ergo cum ad Sacramentum requiratur dolor ante absolutionem, dum pœnitens confitetur, significat se habuisse, vel habere, aut habiturum dolorem immediate ante absolutionem, & sic dolor subsequens fit sensibilis per Confessionem antecedentem, quæ dici non potest simplex narratio historica, sed vera accusatio peccati, seu narratio iudicialia, hoc est, facta Confessario iudici, aut cum intentione illa ordinandi ad Sacramentum, & absolutionem obtinendam, quo casu continet implicitè propositum conterendi, atque adeo sufficienter dicitur dolorosa connotativè per dolorem, quem connotat.

469. Quæritur. An ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat dolere, quod non doleas, seu dolor non habiti doloris?

Resp:

Resp. Negative, ratio est, quia tam ad valorem, quam ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ displicentia, & dolor debet esse de ipsis peccatis, non de negatione doloris, siquidem accusatio Sacramentalis, cum sit de ipsis peccatis, involvere debet displicentiam, & dolorem eorundem peccatorum: Addo tamen pro praxi, in timoratis conscientis; quæque nullum actua- lem affectum ad peccatum habent, optare se dolere, vel dolere quod non doleant, satis esse, quia ejusmodi affectus est signum veri doloris.

470. Quæritur. An sufficiat dolor virtualis, & implicitus inclusus in voluntate suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, aut in actu amoris Dei super omnia?

Resp. Non sufficit, ratio est, quia dolor, & detestatio peccatorum est pars materialis pœnitentiæ, ut habetur ex Trid. & sic non potest sufficere dolor solum virtualis inclusus in actu amoris Dei ( licet ille possit esse sufficiens dispositio ad consequendam gratiam extra Sacramentum ) sed requiritur dolor formalis, & expressus; & inde non recipit Sacramentum Pœnitentiæ, qui ad illud accedit cum solo actu amoris, seu dilectionis sine dolore formali, quia non exhibet materiam institutam à Christo Domino, & requisitam à Conciliis; idcirco sententia docens, actum amoris Dei solum esse sufficientem dispositionem ad hoc Sacramentum, ut minus tuta damnata est; poterit tamen excusari à peccato, qui bona fide accessit ad Confessionem cum solo eo actu amoris, quia implicat habere actum amoris Dei formalem, & graviter peccare.

471. Quæritur. An dolor de peccatis requisitus ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ debet esse intensivus?

Resp. Quod ad dolorem de peccatis non requiritur ulla intensio, teneritudo cordis, lacrymæ, vel duratio temporis, nam sufficit dolor summus appetitativè, id est, ut nihil magis detesteris, quam peccatum, malisque omnia mala hujus mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare; nec opus est, immo nec expedit particulares facere collationes, v. gr. mallem hoc, vel illud malum, aut mortem subire, quam mortaliter peccare, quia periculosæ sunt.

472. Quæritur. An sicut illicitus est usus opinionis probabilis minus tutæ, si spectet ad valorem, seu ad materiam proximam, & formam Sacramenti, sit etiam illicitus, si spectet ad materiam remotam?

Resp. Negativè, ratio est, quia tunc non exponitur periculo frustrationis Sacramentum, atque adeo neque contra Religionem, neque contra charitatem peccatur; hinc licitè Pœnitens accommodat se opinioni probabilis minus tutæ, quod non detur obligatio aperiendi in Confessione, aut circumstantias merè aggravantes, quæ non mutant speciem peccati, aut non aggravantes in infinitum, id est, quæ de veniali non faciunt mortale, aut peccati complicem, quando aliter circumstantia mutans speciem explicari non potest, & alia id generis; hujusmodi enim opiniones probabiles, si revera essent falsæ, non redderent irritum Sacramentum, sicut opiniones probabiles, quæ spectant ad materiam proximam, & formam illius.

473. Quæ.

473. *Quæritur.* An dari possit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris supernaturalis?

*Resp.* Negativè, ratio est, quia non solum ad effectum, sed etiam ad valorem Confessionis requiritur verus dolor formalis, & supernaturalis, quin sufficiat naturalis, aut putatus supernaturalis; siquidem dolor de peccatis non solum ut dispositio, sed etiam ut est pars Sacramenti debet esse donum Spiritus Sancti, ut docet Tridentinum.

474. *Quæritur.* An possit admitti ex defectu doloris universalis, & extensivi, quando scilicet habens v. gr. duo peccata furti, & Sacrilegii, de furto dolet ex motivo turpitudinis suæ specialis, & nullatenus dolet de sacrilegio, aut quia illius invincibiliter est oblitus, vel quia non advertit ad obligationem dolendi de illo?

*Resp.* Probabilissimum est, ex hoc capite admitti posse Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ratio est, quia ad essentiam hujus Sacramenti non requiritur dolor ita extensivus, & universalis, sicut requiritur ad effectum gratiæ consequendum, qui enim dolet de peccato confessio ex motivo particulari non accipit effectum Sacramenti, si forte habeat aliud peccatum inculpabiliter oblitum non retractatum, & tamen habet omnes partes essentielles requisitas ad essentiam Sacramenti; habet enim Confessionem peccati memorię occurrentis, habet illius dolorem supernaturalem, & habet absolutionem, ergo habet omnes partes essentielles constitutivas Sacramenti, quamvis non recipiat gratiam propter impedimentum occultum, & sic

L

recipit



recipit Sacramentum validum, & informe; nec erit necesse talem confessionem repetere, cognito errore, sed sufficiet in sequenti Sacramento confiteri peccatum oblitum invincibiliter, vel non detestatum in priore Confessione inadvertenter.

475. Quæritur. An defectu examinis, & integritatis Confessionis admitti possit Sacramentum validum, & informe?

Resp. Non posse admitti, ratio est, quia si defectus ille integritatis, & examinis fuit mortaliter culpabilis, confessio illa non solum fuit informis, & effectu vacua, sed etiam invalida, peccaminosa, & ex toto repetenda, cum ad illam pœnitens indignè accedat ex defectu diligentiae requisitæ ad sui discussionem: non potest Confessio esse valida, quæ est in ipsomet actu peccaminosa, & sacrilega; si defectus fuit inculpabilis, Confessio erit valida, & formata, id est, cum effectu gratiæ, si non deficient alia requisita ex parte doloris necessarii, & propositi non peccandi in futurum.

476. Quæritur. An ad validam absolutionem requiratur in Pœnitente propositum formale, & expressum non peccandi de cætero, an verò sufficiat virtuale, & implicitum?

Resp. Formale, & explicitum optimum est; hinc rectè agunt Confessarii exigendo illud à Pœnitentibus, & quatenus renuant expressè proponere emendationem: & peccata vitare, absolvi non possunt, verùm per se, & necessariò non requiritur expressum, sed sufficit virtuale, & implicitum, quod virtualiter continetur in vera detestatione, & dolore peccatorum ex motivo supernaturali, & universali, ut colligitur ex Trident.

dent.

dent. *Sess. 14. capit. 4.* sic qui dolet de peccatis ad effectum justificationis, & non cogitat actu propter inadvertentiam de emendatione vitæ, censetur virtualiter, & implicitè proponere peccata vitare, & emendare vitam, quod expressè proponeret, si ad id reflecteret aliàs non verè, & ex animo doleret de peccatis commissis; cum impossibile sit, ut si quis sincero animo doleat efficaciter de peccatis, ut sunt offensa Dei, quin implicitum saltem habeat non peccandi propositum; nam aliàs simul vellet, & nollet offensam gravem Dei, quæ sunt contradictoria.

477. *Quæritur.* An Confessarius possit licitè conferre absolutionem cum jurisdictione solùm probabili, ommissa probabiliori?

*Resp.* Affirmativè, ratio est, quia quando opinio verè probabilis versatur circa jurisdictionem, si hæc fortè desit, certum moraliter est, illam ab Ecclesia parente pietissima suppleri, atque adeo Sacramentum non exponitur periculo frustrationis, sicut exponitur proculdubio, quando opinio probabilis versatur circa materiam proximam, & formam Sacramenti, nam tunc incertum est, an Sacramentum conferatur, cum de ratione opinionis sit incertitudo: similiter valida est absolutio collata à Confessario, qui communiter reputatur habere jurisdictionem, quam a parte rei non habet, dummodo habeat titulum a legitimo superiore collatum, utrumque enim requiritur, & error communis, titulus coloratus; hoc est quod ab Ordinario Parochiam, vel jurisdictionem obtinuerit, adeo ut ab omnibus pro Parocho, & Confessario habeatur, quamvis propter aliquod

impedimentum occultum titulus invalidus fit, ut quia est suspensus; quo casu certum est, valere absolutionem, quia Ecclesia supplet jurisdictionem.

478. Quæritur. An liceat matrimonium contrahere, atque adeo Sacramentum conficere simul, & suscipere cum sola opinione probabili, & non moraliter certa, quod nullum subsit impedimentum dirimens, aut quod præcesserit super impedimento dirimente sufficiens dispensatio?

Resp. Si probabilitas sit circa factum, hoc est, si probabile sit adesse huiusmodi impedimentum, aut non adesse dispensationem, id non licere, ratio est, quia *in cap. Inquisitioni de sent. excomm.* dicitur, quod habens probabilitatem de impedimento dirimente consanguinitatis, vel affinitatis non possit debitum petere, quamvis teneatur reddere; ergo signum est, Ecclesiam non habere huiusmodi matrimonium pro indubitanter valido, atque adeo si cum tali probabilitate illud contrahatur, exponitur periculo frustrationis, quod est illicitum; si vero probabilitas sit circa ius, hoc est, quando probabiliter utrinque DD. censent, aliquid esse, vel non esse impedimentum, aut dispensationem esse, vel non esse validam, id licere, ratio est, quia quando utrinque habeatur huiusmodi opiniones probabiles, consuetudo, & praxis Ecclesiæ fert, quod Matrimonium sic contractum censeatur validum, atque adeo Ecclesia vult Matrimonium non dirimi ab impedimento, quod probabiliter non est impedimentum, aut quando dispensatio probabiliter est valida, unde non exponitur periculo frustrationis hoc Sacramentum.

tam

tum, si cum tali probabilitate Matrimonium contrahatur.

479. Ex dictis sequitur 1. posse licitè Matrimonium contrahi cum dispensatione in impedimento dirimente facta ab Episcopo in casu urgentis necessitatis, cum probabile sit, posse Episcopum in tali casu dispensare; Sequitur 2. Matrimonium invalidum posse revalidari sine Parocho, & Testibus juxta probabilem opinionem; Sequitur 3. posse revalidari Matrimonium invalidum, etiam si alter Conjux sit ignarus nullitatis, quando ex revelatione nullitatis grave scandalum timeretur, ut plurimum docent; Sequitur 4. posse licitè Matrimonium contrahi inter Patrimum, & Matrem Baptizati, quando Baptismus collatus est sine solemnitatibus in necessitate ob periculum vitæ Infantis, cum probabiliter in tali casu impedimentum dirimens Congnationis Spiritualis non contrahatur; & ratio dictorum est, quia hujusmodi opiniones probabiles sunt circa jus, unde non exponitur periculo frustrationis Sacramentum Matrimonii juxta eas celebrati, relictis tutioribus, sicut exponitur dicto periculo Matrimonium celebratum cum ea probabilitate circa factum, quæ facile deprehendi potest falsa.

480. Quæritur. An in conferendis, vel suscipiendis Sacramentis detur parvitas materiæ, sic, ut quis validè ipsa conficiat, vel suscipiat, etiam si aliquod minimum ad ipsorum valorem requisitum prætermittat?

Resp. Negativè, ratio est, quia Sacramentum, formaliter loquendo, in indivisibili consistit, & ideò quocumque minimo prætermisso de requisitis ad valorem, &

essentiam, Sacramentum est nullum, & non subsistit, sicut non subsistit homo, si omnia ad essentiam ipsius requisita non ponantur.

481. Quæritur. An generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, confisi aliquid agimus, semper prudenter agamus?

Resp. Negativè, juxta Decretum Innoc. XI. damnantis propos. 3. quia de ratione opinionis probabilis est, quod nitatur fundamento gravi, tum absolutè, tum comparativè ad motiva in contrarium, sive fundamentum hoc grave sit ab intrinseco, sive ab extrinseco DD. autoritate, adeo ut spectatis omnibus experiatur intellectus vi quadam inclinari; ac quodammodo rapi ad assensum liberè cum facultate ad resistendum; quoties autem probabilitas opinionis est tenuis, & exigua, non potest intellectus experiri vim illam, qua ad assensum validè inclinatur, ergo opinio tunc non nititur fundamento gravi, nec est solidè probabilis, propterea qui nixus fundamento levi pariente veri similitudinem aliquam, & tenuem, ac apparentem probabilitatem, non potest dici, quod prudenter assentiatur, sed potius temerè, ac leviter juxta illud *Ecol. 19. qui citò credit levis est corde.*

482. Ex dictis infertur; universim in humanis actionibus licitum esse sequi opinionem probabilem, ommissa probabiliori, dummodo ea sit veræ, ac solidæ probabilitatis, nec detur certa lex obligans ad probabiliorem, prout datur v.g. in administrandis Sacramentis, & sicut Judex in judicando tenetur sequi opinionem probabiliorem, & Medicus adhibere pharmacum probabilius curativum, & hac de causa non potest ab infideli-

delitate excusari infidelis non credens du-  
ctus opinione minus probabili, ut constat  
ex propof. 1. 2. & 4. inter damnatas ab In-  
noc. XI. Ratio cur liceat uniuersim fequi  
opinionem probabilem, omiffa probabilio-  
ri, est, quia fententia ifta eft probabiliffima  
folidiffimè fundata, ac ferè omnium con-  
tra paucos; tum quia fequens opinionem  
probabilem in conflictu probabilioris pru-  
denter operatur, cum omnis opinio verè  
probabilis apta nata fit inducere prudentem  
affenfum, nec exponitur periculo peccan-  
di formaliter, fed folùm materialiter, quia  
nemo tenetur ponere quod eft tutius, ac  
perfectius; fi enim in moralibus ad id Deus  
nos obligaffet, onus effer intollerabile, ac  
multis fcrupulis expositum, cum morali-  
tèr impoffibile fit femper inueftigare maio-  
rem probabilitatem opinionis, & nimis ar-  
duum femper ad tutiora obligari.

483. Opiniones igitur, quæ probabiliffi-  
mè juxta communem DD. fenfum cum fcri-  
pturis, & SS. Patribus concordant, pos-  
funt licitè in praxim deduci, etiamfi non  
fint tutiffimæ, ita quæ probabiliter dum ta-  
xat juxta grauium DD. fenfum ex Scriptu-  
ræ, & SS. Patrum doctrina descendunt, li-  
citè etiam poffunt in praxim deduci, dum-  
modo uterque Scopulus declinetur, & ni-  
miè benignitatis, quæ vergit ad exercendam  
laxitatem, & nimii rigoris, qui vergit ad  
exercendum tutiorifmum ex utroque enim  
Scopulo naufragium imminet animarum;  
uterque autem non aliter declinabitur, nifi  
manibus continuè tenendo Authores Claffi-  
cos, qui quæftiones ad Confcientiam perti-  
nentes accurratè pertractant, prout loqui-  
tur D. Carolus Borromæus, in libro edito de

ratione confitentur ritè audiendi, quod pariter monet S. Franciscus Salesius in opusculo, qui inscribitur, *Admonitio ad Confessarios*; Vocanturque Auctores Classici, qui sunt valdè docti, ac pii, valdèque periti, tum juris naturalis; tum positivi, qui firmis, ac validis rationibus consueverint Conclusiones fundare, discutiendo, ac deijciendo partis adversæ fundamenta, qui veritatis potius, quam novitatis censeatur amatores, nec de facili hallucinentur.

484. Quæritur. An opinio probabiliter tantùm probabilis dicenda sit tenuis probabilitatis; adeo non liceat juxta eam operari?

Resp. Opinionem probabiliter tantùm, & non certò probabilem carere solida probabilitate, atque adeo esse insufficientem ad prudenter operandum, ratio est, quia ad probabilitatem requiritur fundamentum, spectatis omnibus, grave, ac firmum, quando autem de firmitate fundamenti non habetur certitudo, sed probabilitas, tunc fundamentum videtur, experientia teste, nutare, atque adeo non esse firmum; & sane opinio probabilis licèt patiatur obscuritatem, incertitudinem, ac formidinem de opposito, non tamen compatitur dubietatem, dubietas enim impedit assensum prudentem, qui à formidine opinionis non impeditur, atqui quando de probabilitate opinionis habetur solùm probabilitas, & formido, tunc, experientia teste videtur hujusmodi formido de probabilitate declinare in dubietatem de veritate objecti, & intellectus prudenter suspendit potius, quam ponit assensum circa illam; ergo opinio probabiliter tantùm probabilis  
non

non est dicenda absolute probabilis, sed tenuiter probabilis.

485. Quæritur. An saltem in casu necessitatis urgentis possimus sequi opinionem tenuiter probabilem?

Resp. Nullatenus est admittendus usus opinionis tenuiter probabilis in sensu composito, quod retineat tenuem probabilitatem, eo quod tunc nitatur fundamento non gravi; Verum quidem est, quod in casu necessitatis possit Infans Baptizari in digito, sicut potest Baptizari cum aqua rosacea, deficiente aqua pluviali, quia necessitas facit, quod possit sub conditione Baptismus conferri, quod non solum est certo probabile; sed peccaret qui nollet hoc pacto puerum baptizare, unde non habetur in hoc casu tenuis probabilitas, quia ipsa necessitas reddit absolute probabile, quod seclusa ea circumstantia parum haberet probabilitatis, & ita cogita de similibus.

O R D O.

486. Quæritur. An sit damnata sententia docens, in Ordine Sacro non requiri tactum physicum materiæ remotæ Sacramenti, sed sufficere tactum morale?

Resp. Esse subjectam damnationi proposit. i. iter proscriptas ab Innoc. XI. Ratio est, quia est opinio minus tuta circa valorem Sacramenti, nam si coram Deo vera est sententia affirmans requiri contactum physicum, Sacramentum frustratur si solum adhibeatur moralis; si autem adhibeatur physicus, nihil fit contra valorem Sacramenti.